

AL. 173. R-719
EPISTOLA
G V V I L E L M I P O
STELLI AD C. SCHVVENCK
FELDIVM.

Cum Præfatione M. Matthiæ Flac-
cij Illyrici.

1. Timoth. 4.

Obtestor ego coram Deo & Domi-
no Iesu Christo &c. Prædica sermonem,
insta tēpestiue, intempestiue, argue, in-
crepa, hortare cum omni lenitate & do-
ctrina. Nam erit tempus, cum sanam do-
ctrinam non sustinebunt &c.



1
CLARISSIMO
EXIMIAQVE ERVDI-
TIONE AC PIETATE
prædito Viro, Domino Doct: Erasmo
Mincouicio, Illustrissimi Electoris
Palatini Cancellario, gratiam &
salutem æternam optat Matth.
Flaccius Illyricus.



CLARISSIME AC PIEN-
tissime Vir. Sæpe in meis contra
Suenkfeldij deliria scriptionibus
affirmaui, & etiam probaui eiden-
tibus argumentis, Satanam id agere
per illum Pseudoprophetam, ut contempta, amota
abiectaq; uerbi Dei luce, porro ille in tristibus huius
mundi tenebris omnium errorum somnia ac fantas-
mata miseris hominibus pro cœlesti salutariq;
ueritate obtrudere, atq; ita eos in infernales suos
Labyrintos abducere liberè possit

Id igitur, etsi tum ex illis ipsis a me recitatis
rationibus, tum et ex alijs eiusdē seductoris noxijs fa-
natissimis, sine omni sacrarum literarum testimonio
confictis, liquidissimè apparet: tamen non male
etiam ex hac Gulielmi Postelli omnium qui uiuunt,

aut etiam forte uixerunt unquam mortalium erroribus refertissimi ad Stenckfeldium Epistola elucescit.

is enim tum multa alia impia, ac foeda scripta edidit, tum etiam superiore anno Venetijs Libellum quendam, titulo de Veneta Virgine, ueluti alter Montanus de sua priscilla, & Maximila. In quo tantos errores & furores asserit, ut cloacam Satanæ id scriptum, & eum hominem merito uocare possis. Pauca quædam inde recensebo, ne pijs nauisam cicam, aut etiam spiritum Sanctum in pusillis Christi contristem.

Facit tres mundos, tria corpora, et tres animas. Satanā esse a Christo in cælo uictū, ac inde pulsum, primum circa 1540. Domini annum Octob. 16. die, & inde perpetuo in cælo cantari, Halleluia. Illam suam Virginem, uel scortum potius, esse de substantia Filij Dei, esse alteram Euam, esse matrem uniuersalem totius mundi, sicut eam etiam in sequenti Epistola uocat, esse summum Pontificem totius Ecclesiæ.

Christum restituisse tantum superiorem partem hominis, sed istam nouam Euam, aut matrem debere inferiorem restituere, & illam restitutionem debere Venetijs sua opera inchoari.

Christum uenisse, ut doceret nos paternita-

tem

tem mundi, se debere maternitatem docere.

Se esse ab illa matre mundi regeneratum, & restitutum, ac esse primogenitum totius mundi.

Se, cum primum restitueretur, tanta luce & uidentia ui fuisse donatum, ut per integram horam purissimum solem inspexerit. Eamq; uim se perpetuo fuisse habiturum, nisi quidam nebulones Lutherani sibi uenenum propinassent.

Se ita esse restitutum & regeneratum, ut nullo cibo, aut potu indigeat &c. *sed ueneno ui iam dixi*

Talibus multis ac inauditis furoribus est ille liber & alia eius seductoris refertissimus, ut non dubites, non hominem, sed Satanam aut etiam multas Diabolorum legiones in illo hominis cadauere inhabitantes, talia contra Deum blaterare, & blasphemare.

Illam ergo turba cacodæmonum, quæ in Postello tales abominationum errores euomit, etiam hac Epistola ad Stenckfeldium seu comilitones suos in Stenckfeldio blaterantes, scribit, ac hortatur eum, ut pergat sedulo omnem uim salutis ac pietatis exterius medijs, id est, uerbo ac Sacramentis, detrahere Sciens nimirū, quod, ubi receptū approbatūq; fuerit dogma Stenckfeldij, quod sacræ literæ non sint uerbum Dei, quod sint incertæ, & flexibiles, quodq; fides inde non ueniat, non augeatur aut confirme-

A 3

tur, &

tur & deniq; quod non fides sacras literas sequi, et ad illas sese accommodare, sed contra sacræ litteræ ad ipsorum fidem inflecti debeant. Sciunt, inquam, Inferi, quod ubi hæc doctrina Stenksfeldij obtinuerit, receptaq; fuerit, mox illis quosvis errores per suos Postellos, Stenksfeldios, Berneros, Krautwaldios, & alios pseudoapostolos spargere, & miseris hominibus obtrudere libere licebit. Clarum ergo testimonium est hæc Epistola. Item quod Postellus in prædicto Libro hortatur omnes ad rejectionem litterarum Stenksfeldij, quod spiritus Postelli & Stenksfeldij pulchre conueniant.

Iam manifestum est ex tam tetræ supra recitatis blasphemijs, tetrum aliquem, uel etiam multos Diabolos in Postello esse & loqui. Ergo & in Stenksfeldio, quem ille ita complectitur, ac exosculatur, cacadæmon regnat. Certè Satanae contra semet non pugnant, nec piam doctrinam amant, cum ue promotam cupiunt, nec ad eam quenq; libenter hortantur.

Manifestum igitur est eiusdem generis spiritus ac dogmata esse Stenksfeldij & Postelli sibiq; inuicem operas tradere. Stenksfeldius enim non nihil dissimulans multos alios crassiores Postelli errores totus in hoc est, ut unicū suorum furorum obstaculum, id est, sacrarum litterarum authoritatē, con-

fringat

fringat, conculcet, & amoveat. Quo peractō ille porro integrum chaos nouarum reuelationum adducet, & inter miseros mortales effundet.

Quo uero magis coniunctio istorum duorum cacadæmonum in suis Prophetis appareat, obseruetur etiam tempus ipsorum furoris. Stenksfeldius enim potissimum ab anno 1546. cœpit sacrarum litterarum authoritatem uiolentius, et manifestius oppugnare, & somnijs, fantasmatibusq; satanae fores ac fenestras aperire. Postellus uero circa 50. est restitutus, ut ipse testatur, & cœpit tam tetra cuomere. Sex igitur annis præcursor prius a principe Satanarum est ablegatus ad parandam uiam secuturo Pseudoprophetae. Conueniunt igitur isti duo nefarii spiritus, & pseudoprophetae dogmatibus, tempore, & amicitia.

Quare diiudicent pij prudenter spiritus, & sibi ab insidijs tortuosi serpentis inferorumq; principis, qui blanda diuinitatis spiritualitatisq; specie, genus humanum initio decepit, ac seduxit summa diligentia inuocato nomine Domini cauant.

Hæc iam ad te Vir clarissime scribere ac mittere uolui, tuoq; nomini hanc qualemcunq; meam opellam admonitionemq; dedicare, ut quoniam illustrissimus Princeps Elector nunc uetus Antichristi fermentum passim ex sua Regione ex-

purgat, tu etiam tanquam aliquis pius Obadias tanto ampliore occasione monendi, uigilandiq; habcas, ut & ab hoc nouo Sathanæ fermento, id est, Steukfeldij errore, qui in istis Sucuicis Rhenanisq; regionibus plurimum grassatur, uestris Ecclesijs, Scholisq; diligenter caueatur. Oro autem ac obsecro plurimum T. E. & una illustrissimum Principem, ut hoc meum studium ac factum in meliorem partem Christiane accipiatis. Dominus Ihesus adsit suæ Ecclesiæ, tibi & omnibus suis contra omnes Satanae furores & errores. Amen. Magdeb. 10. Calen. Sept. 1556.

EPISTOLA GVILELMI

Postelli ad C. Suenkfeldium.

D. CASPARI SVENCK-
feldio pio Doctore Viro & reue-
ra nobilissimo. S.

ET si spiritus ille emulatus, quo princeps Prophetarum Elias urgebatur, cum se solum fuisse in Israel relictum penes Dominum queretur, me uehementissime permouet, ita ut, si meo obsequer ingenio, uix etiam superesse ipsius Elie spiritum crederem, nedum septem millia ui-
rorum

rorum, qui ante Baal genu non curuauerunt, tamen cum ratione naturali restituta a Christo res percipiendo et secretiori uerbo Dei mentem adhibeo, re uera conspicio non tantum in Israel, sed et in gentibus ita diffusum esse Spiritum sanctum, ut quicumq; pro suæ conscientie testimonio fecerit bonum, hic acceptus sit Deo. Nam ea de re ille, cuius sunt omnes animæ, qui nihil odit eorum, quæ fecit, qui uult omnes homines saluos fieri, & qui est saluator omnium et maxime fidelium, illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum.

Maximam itaq; illi Tyrannidem in mundum introducere satagunt, qui nunquam hic fore restitutionem omnium sibi persuadent, ut plura Satanas uideatur destruxisse, quam poterit Christus restituere. O summam impietatem. Satanas homines ad hanc diem nullo patenti signo perdidit & Christus secreto atq; interiori uerbo, spiritu, afflatu, modo, aut fide, nullo exteriori uerbo infusa non poterit tantum saluando, quantum Satan perdendo. Hinc quasi iam sint uniuersi Domini, qui se Euangelistarum nomine uenditant, omnes uolunt in sua uerba iurare, hinc ex una Ecclesia singulas sibi proprias excogitarunt, longe maiori tyrannide, quam qui palam in Babilone agunt. Quisquis non iurat in eorum uerba, sensa, confessiones, asserens

Ecce hic est Christus, fit statim apofynagogus, O
miserandam philautiam.

Voluit itaq; hoc nomine ad te o anima felix,
per te ad alios omnes, quotquot in homine hoc
non uarios cultus, ritus aut decreta, sed ueram Dei
Opt. Max. imaginem agnoscunt, scribere,
ut naturam hic nunquam necessarijs gratijs desti-
tuta, cuiusq; causa facilius est mundus, semper ad ex-
terna et mortua Elementa alligare contēdentes, re-
probentur, a quorū iudicio quam uehementer,
postquam cum illis sum congressus, abhorream, tibi
significandum duxi. Vbi enim in illud tuum scri-
ptum, quod etiam ab Oecolampadio laudatum et
probatum est, incidi, Deus bone, quantum admirari
spiritum Dei in te loquentem incepti.

Perge itaq; anima sancta, perge, inquam, col-
ligere, et cohortari dispersas Christi oues, et quæ
sacro sancto Spiritu sunt in uerum et Christi for-
me Baptisma, conductæ, et ab inferorum elemento
rum tyrannide omnino a Christo liberatæ, per eius
secundarium aduentum, cuius testis oculatus, et
quouis sensu informatus tibi fidem facio. Quum es-
nim non esset bonum etiam Adamum iustum solum
esse ante peccatum, etiam in paradiso ipso, ut solus
esset, sed illi necessarium esset, ut adiutorium illi
simile de eius ipsius substantia extraheretur, ita ut
eadem

eadem substantia humanitatis generatis sub utroq;
sexu exprimeretur. Sic non erat bonum, ut Adā nouus
esset solus, nisi daretur illi adiutorium personale de
eius substantia spirituale simile ipsi. Nā corpus spiri-
tuale et cœleste, quodq; in Christo est inferius, neces-
sario est in omnia membra sua trāsfundēdū. Sed an-
te omnia in Euā nouā, quæ restitutæ naturæ est au-
tor in suo sponso, sicut et ipse fuit restitutæ gratiæ.
Nā utrāq; perdidimus, hoc est, et gratiā et naturā
bonā. Mater itaq; mundi, quæ Christus in sui parte in-
feriori est, restituit omnia. Quia oēs prius damnati,
quā nati, nesciūt qd faciūt. Ipsa est sacro sanctus ille
spiritus et corpus cœleste, siue spirituale, per quod
sine externo ministerio infunditur uera et ratio-
nalis naturalisq; cognitio sui et Dei summa.

Hinc infunditur charitas, hinc, eo quod ex
maternitatis radice procedit hæc misericordia, no-
mine rachemim est ab Hebræis uocata, eo quod in
uulua seu matrice illam omnes perdidimus. Vnde
spirituali corpore inde repeti omnino necesse est.
Nam alioqui nisi renascamur spiritualiter ex parte
matris, sicut ex parte patris, proculdubio Satan re-
maneret uictor in sexu filios suos non reparante.
Non autem tantum inherenter restitutionem
ab utroq; parente, sed etiam substantialiter in
singulis

Intelligit
suam ma-
trem mun-
di.
Notate
Schuenfel.

6
singulis adfore necesse est, & gratiam & naturam
per gratiam restitutam. Mater ipsa mundi me co-
hortatur, ut ita de suo genere ipsius primogenitus
censeam, teq; in hac sententia corroborem. Charita-
tate itaq; consummari omnia reliquis ritibus necesse
est, cum Lex scripta in cordibus uidebitur. Opus
enim est, ut duplex adsit in restructis Spiritus, ut
Eliseus ab Helia postulauit: Vnus pro parte superio-
ri paterna et mentali in cerebro adrestitutionem ani-
morum, & hic fuit datus Apostolis, Alter pro parte
inferiori materna & spiritali (Mens enim & spi-
ritus sunt tanquam masculus & foemina) in corde
ad restitutionem animarum, ut fiat & uideatur esse
spirituale, quod erat animale. Nam ad restitutio-
nem omnium necesse est ut duplex, aut duplici ratione
aut origine immortalitas in nobis restituatur, sicut
in patre & in matre duplicem omnes perdidimus &
sumus bis occisi. Hoc secundo, & materno, hoc est,
in naturam ipsam inferiorem transfuso spiritu mo-
nentur, nunc reuera ex Christi inferiori parte om-
nes illi, quotquot secreto Dei uerbo, dicam lege in
omnium cordibus scripta uolunt mundum coalesce-
re non praescriptis illis externis, quibus re uera
maiores Tyrannidem inuehant in mundum no-
ui pharisaei, quam unquam fecerint antiqui. Ideo
tam saeva inuidia inter mouentur & impellunt
seipsos

seipsos, cum in alios omnes, qui spiritu lenitatis fe-
runtur, tu in te unum, qui illorum hypocrisin & am-
bitionem detegere ausus es.

Sed perge & animo constanti esto, Nam pro-
pe adest Dies Domini, iam enim aequauimus in hoc
primo legis Gratiae tempore periodum legis natu-
rae usq; ad diluuium, cum fuit decretum, reliquis pro
poenitentiae tempore centum uitae annis, donec fabri-
cetur arca. Erat enim annus 1556. a mundi prin-
cipio. Lex Moscos fere tantundem, plus aut minus
parum admodum durauit: Dixit autem pater me-
us, sicut in diebus Noe, ita erit aduentus filij homi-
nis, hoc ipsum sicut capio, et in tempore et in mundo una
cum circumstantiis, Certe rerum conuersio & finis
Babylonici mundi & principium uenturi seculi in-
stat.

Ideo ad te, ut te ante alios praemoneam, scribo,
ut satagas erga illos, qui tibi consentiunt, fungi
praemonitoris officio, ut a uentura ira caueant.

Vale. Venetijs 14. Augusti 1553. in

Giuntae Librarij aedibus si forsi-

ta tu aliquid ad nos scriptum
uolueris.

Tuus ex animo Guiliclmus Postellus.

2. Tefs. 2.

Eo quod charitatem ueritatis non
receperunt, ut salui fierent, ideo mittet il-
lis Deus efficaciam illusionis ut credant
mendacio, ut iudicentur omnes, qui
non crediderunt ueritati &c.

I E N A E.

Excudebat Christianus Rho-
dius, Anno

1556.